7

DISPUTATIO MEDICA

DE

HEPATITIDE ACUTA.

AUCTORE THOMA CHARLES.

PRAEFANDA.

Jecur omnium secernendi instrumentorum amplissimum est. Ante spiritum inceptum, utrique hypochondrio et epigastrio incumbit. Adulto vero homini vix ad partem sinisteriorem pertinet. Septo transverso subnititur, quod facies ejus convexa tangit; et pluribus ligamentis fultum e loco dimoveri non potest. Quod ad colorem, rufum est: gibba ejus pars sursum, concava deorsum spectat. E binis lobis conficitur, quorum

Edinburgh
1815



dexter est grandior. Quinetiam, facies concava multis processibus, qui lobuli nominantur, nodatur.

Jecur ad fel secernendum consecrari videtur: hoc vero aliis glandulis distat; quod non arteria, sed vena hujus officio et viribus donata, bilem secernere videtur. Nec vero de hac re idem omnes sentiunt; quidam scilicet contendunt, arteriam hepaticam non solum jecur alere, sed quoque ad bilem secernendam aliquid operae conferre. ABERNETHIO equidem contigit cadaver incidere, cui vena portae jecori deficiente, arteriae hepaticae fel erat secernere. Nostro autem judicio, leges naturae ab iis, quae ludens molitur, nunquam deducere licet. Fel sane corpori jam dicto non deerat; at multo dilutius aequo extitit. Quibus perpensis, non arteriae hepaticae esse fel secernere, sed vena portae jecori den egata, naturam vires insolitas ei esse largitam.

Duplici inflammationi obnoxium est jecur;

acutae nimirum, et vetustae seu longae. Nonnulli opinantur, illam membranae cingenti, hanc potius intimis penetralibus, id est, ipsi substantiae propriae, insidere. Cui sententiae alii aversati acutam ad arteriam nutricem, vetustam ad venam portae praeter modum incitatam referunt. Non nisi de illa disputare in animo est.

DE SIGNIS.

JECINORIS, uti alius cujusvis partis, inflammationem instare denunciant artus inhorrescentes et rigentes, modo sane tam leviter, ut ipse aegrotaturus vix id signum sentiat. Paulo postea, corpus praeter modum calet, et arteriae concitantur. Praecordia e dextra parte tenduntur et dolent, et dolor premente manu increscit. Inter-

dum spiritus aegre et cum dolore trahitur. Homo in partem dolentem quam sanam facilius cubare posse solet: interdum in neutram cubare nec quiescere potest aeger nisi supinus. Hic morbus vero aliis atque aliis notis indicari comperitur, prout haec aut illa jecinoris pars inflammetur.

Quoties inflammatur pars gibba, septo transverso proxima, dolet summa pars humeri dextri; et, ut GIRDLESTONUS nos edocuit, pars antica aut postica humeri afficitur, prout inflammatio parti jecinoris anticae aut posticae incumbit. Aeger spirat graviter et cum dolore; crebro tussit, at nihil pene excreat. Aliquando porro singultit, quod nunquam felici est indicio, et interdum spiritum gravat. Si facies ima et postica jecinoris laborat, dolor parum pressura acuitur, et pars vix intumescit. Quod si altera antica inflammatur, tumet, et acute dolet, manus impatiens.

Inflammata parte concava actio ventri-

culi perturbatur; cibi fastidiuntur et saepe evomuntur, quae mala multo plus, quam alia parte jecinoris laborante, torquent. Tussis simul et spirandi difficultas desunt, aut levissime urgent. Frequenter vires eo prosternuntur, et angor tantus cruciat, ut ipse ventriculus inflammari videatur.

Inflammato jecinore, plus fellis, quam fert natura, secernitur. Si ductus hepaticus vel ductus communis choledochus afficitur, fel, cum facile in intestinum profluere non potest, resorbetur, et summa cutis et tunicae conjunctivae oculorum aurescunt. Alvus eadem de causa torpet, et stercus, fellis expers, album excernitur.

Alias, alvus praeter solitum fluit biliosa: nec ratio obscura: fel nimirum aequo copiosius intestinum intrat. Hoc accidit, quando gibbae faciei solae inflammatio contingit. Cutis interdum, alvo ita resoluta, flavet; non quod vasa jecinoris resorbentia fel in venas deferunt, aut hoc ipsum refluit, ut

SAUNDERII videtur esse opinio; sed quia vasa lactea una cum opima alimenti parte id accipiunt.

Arteriae saepe languide, interdum fortiter saliunt; plerisque tamen hoc malo aegrotantibus, dure et celerius quam ex consuetudine. Exardet summa cutis, sitit aeger, lingua sorde flava aut atra squalet, et fauces inarescunt. Urina rufa et parca excerni consuevit. Aeger continenter fere vigilat, nec raro delirat, et vires inde insigniter dilabuntur. Hae sunt notae praecipuae et frequentiores acutae jecinoris inflammationis, quae Resolutione, Suppuratione, Gangraena aut Inflammatione vetusta finiri potest.

Hunc morbum in resolutionem desiturum esse testantur signa mitiora, et auxiliis idoneis facile sedantia. Hae vero notae eventum felicem praedicant: sanguinis cursus e naribus aut imi intestini venis, alvus biliosa, sudor tepidus et aequalis ubique corporis,

nec raro, qui, cute flavente, vestem intimam inficere dicitur; sputa porro copiosa, et urina crassa et multa. Quinetiam, subinde inflammatio a jecinore aliorsum transfertur; veluti ad lienem, aut ad cutem; quae erysipelate effloresoit.

Si corpus vicissim inhorrescat et incaleat, id quod saepe, visceribus inflammatis, accidit, suppurationem instare aut adesse constat. Hae notae primae omnium hanc venturam testantur, et medicum inflammationis resolvendae spem dedocent. Nec vero non fateor membra, aliqua parte inflammata, alIunde obrigere et inhorrescere posse. Semper tamen hoc signum haud leviter terrere debet. Cur vero, pure facto, artus horreant, penitus nescimus: res ipsa optime innotescit, et medicum prudentem perraro fallit. Quod si hoc signum prorsus defuerit, aut adhuc latuerit, jecur tamen suppuraturum judicamus, si inflammatio diutius traxerit, nec medicinae summa ope renitenti cesserit.

Pus jam jecinori inhaerere denunciant dolor ex improviso conquiescens, certeve inclinatus, et gravitas quaedam sensusque liquoris fluctuantis, et WHYTTIUS haec habet verba; "In a suppuration of the liver, I have twice "seen the patients affected with a numbness "and debility of the right arm, thigh, and "leg *."

Jecur inflammatum serius aut ocius suppurare solet, prout antecesserit inflammatio incitatior aut levior, etiam pro ratione loci, coeli et curationis, quam medicus fuerit secutus.

Auctores memorant inflammationem jecinoris subinde in gangraenam desiisse. Hanc subesse patet, si dolor subito quiescit; si summa cutis gelido diffluit sudore; si arteriae languide micant, potiusve intremunt; si aeger assidue singultit, artusque frigent. In-

---

* Whytt's Observations on Nervous Disorders, p. 25.

terdum evomitur sordes nigra, et alvus atra graveolensque fluit.

Si jecur nec suppurat, nec ad gangraenam tendit, signa tamen inflammationis mitescant, non decedant, inflammationem vetustam futuram esse constat.

DE PROGNOSI.

De hujus mali eventu futuro judicari poterit, qui novit, quamdiu torserit, et notae graves an mites vexaverint. Si aliquae ex indiciis, quae resolutionem futuram docere supra proposui, tertio quartove die accedant, aeger est in bona spe. Quod si inflammatio quaesitior sex aut septem dies perstiterit, vix dubitare licebit, quin jecur suppuraturum sit.

Si jecur abscesserit, timere aut sperare licebit, prout suppuraverit haec aut illa pars jecoris.

Si pars convexa, ubi margine acuto instruitur, pure corrumpitur, eaque actio adest, qua partes invicem conterminae cohaerent, jecur et integumenta ventris inter se committi possunt, et hac via pus excerni. Quod si fiat, vulnus pure exeunte oriundum, ni vetet malus corporis habitus, sanescet.

Quoniam ventriculus, intestinum duodenum et colon jecinori subnituntur, si hujus inferior pars inflammatur et suppurat, fieri potest ut pus in ea viscera profluat. Si ventriculum petit, evomitur; si intestinum alterutrum, dejicitur. Interdum sane ad duodenum, nulla parte violata, defertur; scilicet per bilis fistulas itinere facto. Nulli ex his finibus aegrotanti salutem recidivam denegant.

Si facies jecinoris, septo transverso conterminа, suppurat, his cohaerentibus, pus in

pectus transfunditur, saepe strangulaturum. Quod si septum transversum quoque cum pulmone committitur, pure extussito, aeger sanari poterit.

Pus vero, jecinore inflammato, excreatum, non semper ex hoc viscere proficiscitur. Fieri enim potest, ut pulmo simul inflammatus ipse quoque suppuret. Denique, si quid in jecinore abscedat, nec hoc viscus cuivis alii parti adhaeret, pus saepe in ventrem profluit. Quod si accidit, pereundum est infelici.

Nec salvus esse poterit, cui gangraena supervenirit. Uterque casus aliquanto rarior est.

DE DIAGNOSI.

Nihil medicorum pluris interest, quam genera valetudinis inter se consimilia clare

invicem dignoscere posse. Errare enim de hac re persaepe est hominem jugulare.

Morbi vero qui potissimum, eum de quo agimus, simulant, sunt, Pleuritis, Gastritis, Enteritis, et Rheumatismus partibus vicinis incumbens. Qui quomodo malo proposito discernantur paucis ostendere conabor.

Pleuritis.—Quoties inflammatio gibbae jecinoris parti insidet, hoc an pulmo laborat, cognitu paulo est difficilius. Jecur enim, re ita se habente, ampliatum, obstat quo minus facile descendat septum transversum, et tussim et spirandi difficultatem movet. Quod si septum quoque inflammetur, dolor acutus torquet, et alte inspirando increscit. Si vero doleant summa pars humeri dextri, et clavicula, jecur inflammari fere constat. Neque hoc signum non subinde fallit; si enim ima pars pulmonis, ideoque septum transversum laborat, dolebit humerus dexter et scapula. Cleghorno nitor, ita sentire professus: qui haecce habet verba: "The most part

" of the sick," scilicet eorum qui pleuritidem habuerint, " were seized with stitches " in their sides, striking upwards to the cla- " vicle and shoulder blade *."

Hae equidem notae satis fere pleuritis an hepatitis torqueat, edocent. Cui illa subest, is in partem dolentem cubare nequit; cui autem haec, is in latus sanum aegrius decumbit. Illi tussis jam ineunti adest incitatissima, non sputi, saepe cruenti expers, nec dolor premendo acuitur; quae huic contraria esse consuerunt. Tussis, inflammato jecinore, vix ante diem secundum aut tertium vexare coepit; ut, supra dixi, sputis caret, nec leniter et tarde inspirando cietur, etsi dolor inde adaugescat.

Gastritis.—Longe facilius est ventriculum inflammatum a jecinore inflammato discernere. Illo laborante, angor quaesitior circa praecordia vexat, vires plus dilabuntur, lon-

* Cleghorn on the Diseases of Minorca, p. 262.

ge magis cruciant ardor et dolor ventriculi, multoque plus aliqua re devorata intenduntur. Quod porro ingestum citius evomitur. Huc accedit, quod dolor, aegro supino, acuitur; eo quod jecur ventriculum vehementer opprimit; prono autem, genubus nixo, mitescit.

Enteritis.—Inflammatio intestini cognoscitur ventris dolore circa umbilicum torquente, sensu intestini quasi affecti cum spasmo, toto ventre dolentissimo, praesertim si digitus opprimit, et alvo strictissima, solutuque difficillima.

Rheumatismus. — Cum musculi jecinori proximi rheumatismo tentantur, dolor etsi quaesitissimus non unicae sedi infigitur, sed serpit et cursum permeat musculorum. Quinetiam artus grandiores et praecordia vicissim dolore occupantur, quoties hoc fonte dolor enascitur: qui porro longe gravius corpore flectendo, et huc ulluc movendo exasperatur, quam jecinore inflammato. De-

nique, aeger non febrit, nec tussit, difficulter spirat, evomuit, aut aliis malis morbi propositi propriis contorquetur.

DE CAUSIS.

Causae morborum duplicis sunt generis: Quae corpora ad morbos subeundos proclivia reddunt; et quae ipsos recta excitant. Auctores equidem has plurimum invicem confundere solent. Scire tamen licet, illas fere corpori intus inhaerere, has vero extrinsecus esse. De utrisque brevi sermone disseram.

Quae causae proclivitatem pariant.—Tenelli et impuberes perraro hoc morbo plectuntur. Cujus rei Girdlestonus meminit, hujuscemodi oratione habita. " Viginti tympanis-" tarum, centesimae primae legionis, impube-

" rum, nonnullus hoc morbo laboravit, tam-
" etsi continue in campis fuerint, et itine-
" ra quam ulla alia pars legionis melius fece-
" rint *." GREGORIUS equidem, inter praelegendum, narrat, quandam octo annos natam in eum incidisse. Adultis vero potissimum contingit.

Quod ad indolem corporis, sanguinei, non minus quam melancholici ei patescere videntur, quamvis medici plerique hos illis procliviores esse opinantur. Res est sane notissima, vegetos et sanguine plenos persaepe jecinoris inflammatione tentari. Nec simul inficiandum, atram bilem corpus jecinoris malis obeundis aptare, praecipue largioribus.

Foeminas hic morbus maribus posthabet; eo quod hi noxis excitantibus, ob vivendi rationem, magis objiciuntur.

Multum operae conferre videtur coelum ardens, quod et proclivitatem, et ipsum

* Girdlestoni Dissertatio Inauguralis de Hepatitide Indiae Orientalis, p. 12.

morbum progignit. Quum vero causae excitanti potius sit habendum, illuc referre satius judicavi.

De causis excitantibus.—Jupiter sole torrido exardens jecur praesertim inflammat. Cur aestus id moliatur, minus constat; res ipsa notissima est. Verisimile est, fel inde acrius factum, eo jecur exasperare, ut inflammetur. Britanni, qui sedibus patriis relictis se ad Indiam alterutram recipiunt, sed praecipue Orientalem, satis eheu! quantum jecinori noceant ardores meridiani, noverunt. Memoratu simul haud est indignum, Indos ipsos multo rarius jecinoris morbis, quam Europoeos illuc traductos, implicari; nec ratio obscura: Hi scilicet se luxui, epulis et vino committere soliti, coelo torrido longe magis concitantur; cujus porro insueti sunt. Aborigines contra, e natura et temperate vivunt, oryza et lacte vescuntur, missis carnibus, conditis omnibus, et salsamentis; nec

multum ideo sole nimium propinquo, consuetudine durati, plectuntur.

Ebrietas.—Temulentis jecur, ut alia viscera, persaepe inflammatur. Potus meraci hoc prae caeteris turbant et incitant. Etiam in nostrate, plerique eorum, qui bibere multum vini et liquorum spirituosorum sueti sunt, vix non jecinore aegrotare comperiuntur. Jam antea notavi, teneros aetate minime, jecinoris inflammationi natura opportunos esse: ista puella octo annos nata, de qua supra retuli, in malum propositum liquores ardentes potando, incidit. Quomodo ebrietas jecinori noceat, dictu est difficile; conjicio ventriculum inde prius incitatum, prae nexu arctissimo, quo cum jecinore committitur, ut hoc cieatur, et demum inflammetur, efficere.

Cursus aut motus vehementior.—Currendo aut acriter ambulando jecur admodum irritatur. Nihil sane plus operae confert ad hoc viscus inflammandum, quam itinere longo, sub ardente coelo fatigare. Milites Britan-

nici, soli pulverique Indico objecti, vix non simul omnes in hanc valetudinem incidunt. Hinc ii, qui in Madrasia militant, longe opportuniores sunt, quibus jecur inflammetur, quam Bengalenses: nimirum, inter munera adeunda labore graviore insudant: hi contra, navibus conscensis, hinc illuc ad bellum gerendum traduci solent.

Frigus jecur, uti alia viscera, frequenter inflammat: aut summa cutis, aut partes interiores refrigeratae eo spectant. Hinc vicissim ardoribus meridianis et roribus vespertinis sese committere soliti, morbo proposito tentantur, praecipueque in terris aestuosis. Pari ratione, si quis inter insudandum potum egelidum bibat, aut in frigidarium descendat, ei malum idem contingit.

Ictus.—Quaevis pars ictu violata in tantum inde contundi et irritari potest, ut consequatur inflammatio. Neque ulla profecto contusa plus quam jecur, pati comperitur.

Caput ictum.—Res est memoratu haud in-

digna, jecur capite percusso fuisse inflammatum. Nexu autem quali cerebrum cum hoc viscere societur, minus constat. Si cui caput icitur, is violenter evomit: verisimile est igitur, vomitum istum, septi transversi fibris, et musculis abdominis valde molientibus, eo jecur premere, exasperare, et ejus fistulas emulgere, ut concitetur inflammatio. BERTRANDE in tractatu, cui titulus "Mé-"moire sur les Abscés du Foye," haecce verba habet: "Nous connoissons par un assez "grand nombre de faits bien observés, que "l'abscés du foye est principalement à "craindre après les playes de tête, lorsque "les blessés vomissent, peu après la bles-"sure, une bile verdatre *." CURRIEIUS et CHEYNEIUS, parum ei assensi, contendunt, jecur et cerebrum inter se consensu insigni et miro committi, adeo ut alterum alterius malorum et bonorum particeps fiat. CHEY-

---

* Mémoires de l'Academie de Chirurgie, tom. iii, p. 484.

NEIUS ait, "Injuries of the brain have often "been succeeded by abscesses of the li-"ver *."

Motus animi.—Vehementer irasci, amare, contristari, moerere, jecur turbavit, et subinde inflammavit. Suspicio tamen inflammationem vetustam longe saepius inde profectam esse. HIPPOCRATES timorem noxae excitatrici recensuit; meminit enim hunc morbum grassari et adoriri "in peregrinati-"one per deserta loca, ut ubi terror ex viso "spectro corripuerit."

Febres hanc inflammationem genuisse videntur; praecipueque intermittentes et remittentes, quae Indiam Orientalem et alia loca sano jecinori inimica populari solent. Optime sane innotuit, Indiam Orientalem multo potius et crebrius altera Occidentali Britannos, eo domo profugos, cum proposito malo, tum quoque istis febribus implicare. BOERHAAVIUS sane et VAN SWIETENUS omnes

* Cheyne on Hydrocephalus, p. 48.

febres ardentes causas valentissimas hujus morbi habebant: ista vero opinio ratione vana nixa est. Omnia scilicet pene genera valetudinis adversae humoribus vitiatis hi medici tribuerunt; quos tandem dies delevit.

Calculi.—Nulli parti calculi saepius inhaerere reperiuntur, quam jecinori et fellis vesicae; si equidem excipias urinae itinera. Quoties ipsi jecinori insident, poros biliferos occupare solent. Ruyschius profecto concretionem, qui scrupulos duos pendebat, jecinori inesse comperit, quique nequaquam cum bilis fistulis committebatur. Jecur inflammant concretiones, vasa ejus irritando, quo in tantum concitentur, ut accendatur jecinoris totius inflammatio.

Nec aliae desunt morbi, quem prosequor, causae; quales sunt partes vicinae duratae et ampliatae; vermes ipsi jecinori inhaerentes; hypochondriasis diuturna. Aqua corrupta epota jecur quoque inflammasse fertur. Cleghornus enim nos edocuit, jecur et lie-

nem generi pariter humano atque belluino in Minorca insula hinc intumuisse. Girdlestonus aliique hoc malum subinde ad argenti vivi praeparata largius et intempestive concessa retulerunt. Cullenus idem acutum longo vel chronico supervenisse statuit. Tubercula jecinori infixa, frigore aliove irritamento illato, interdum inflammantur: quod mali genus perniciosissimum esse consuevit. Denique, si quis ex humoribus secernendis aut excernendis supprimatur, uti alia viscera, ita jecur inde persaepe inflammatur.



DE CURATIONE.

Quoties jecur inflammatione acuta plectitur, omnia auxilia sedando et exinaniendo dicata, qualia nempe Regimen Antiphlogis-

ticum complectitur, juvabunt. Siquidem jecur inflammatum opportunissimum est quod suppuret, mature et acriter agendum est; et plus minusve deplendum erit corpus, prout sinant et doceant aetas, signa, vitae praegressae ratio, et quae sunt hujusmodi. Prae omnibus vero oportebit venas vacuefacere. Duplici autem ratione id fieri solet; nimirum, aut brachii vena, aut venis, parti laboranti proximis, incisis. De illa ferienda prius disputare in animo est.

Sanguinis detractio.—Sanguine mittendo optime et celerrime sedantur cor arteriaeque, et debellatur inflammatio. Ineunte igitur hoc malo icenda est vena, non nisi enim hoc maturrime exacto resolvi poterit. Quantum sanguinis mitti debet, cognitis ratione virium, aetatis et signorum, indoleque corporis, patebit. Vix minus unciae duodecim, aut amplius viginti quinque, singulis vicibus absumendum; idque bis aut ter intra horas viginti quatuor fieri debebit, prout suadeat

notarum ratio. Sanguis iterum eliciendus erit, si dolor non hebetatur, si arteriae adhuc concitantur, et saliunt valide, dure, et citissime, et digito imposito, uti nervi intenti, subsiliunt, et sanguis detractus tunicam istam, corii similem, sibi praefert. Nec vero sanguis, tunica ista obductus, semper per se venam incidendam edocet; quae bis terve detracto sanguine apparet; non vero inflammationi jam ineunti subest. Potius igitur, virium, pulsus, aetatis et notarum, quam sanguinis missi ratio, an vena iterum percuti debet, necne, ostendet. PEMBERTONUS ista de hac re scripsit: "If the buff, after six hours "from the time of the venesection, appears "very firm, compact, and opaque, has a con-"cave surface, and is puckered at the edg-"es, and if the hardness of the pulse and "degree of pain be not diminished, we may "feel secure that the patient will again bear, "with advantage, a bleeding from the sys-"tem. If, on the contrary, the buff (after

" an equal time) appears with a flat surface, " is transparent, and has a greenish-yellow " colour, with a striated filamentous texture " running through it, we must not again " have recourse to general bloodletting, but " place all our reliance on topical bleeding, " blistering, and purging *."

Nonne vero fieri potest, ut tunica ista, corii sibi speciem praeferens, flaveat, etiamsi fel sanguini desit? Haec tunica, inflammationis propria, fibrinae aequo tardius coëunti, ob arterias concitatas deberi cognoscitur. Verisimile est igitur eandem molliorem esse et flavere, non quia felle inficitur, sed quia ista cordis et vasorum incitatio, quae tunicam conficit, interdum aliquanto est lenior.

Permagni interest, quoties sanguinem elicere oporteat, ut ex hiatu ampliore profluat; quanto enim celerius venae vacuefiant, tanto magis debellatur inflammatio. Vel per-

* Pemberton on the Diseases of the Abdominal Viscera, p. 25.

magna copia sanguinis lente detracta non solum inflammationem non subigit, sed simul viribus labefactandis admodum nocet.

Aliquando vena incidenda non tantum exilis est, sed alta sede donata multo adipe obtegitur; quo fit ut sanguinis, etsi late pateat incisura, rivus pertenuis et tardior effluat. Si talis vena feriatur, longe satius erit vulnus ampliare, quam pigro cursu sanguinem exire pati.

Venis deplendis et alvo expurganda CRAWFORDUS jecinoris inflammationem subtulit, tam vehementem et subitam, ut primae omnium ejus notae essent venter insigniter tumefactus, et summa spirandi difficultas. Si venae jam satis exinanitae fuisse, et inde motus arteriarum sedatus, videatur, nec vires, ut apparet, plus sanguinis mitti sinunt, inflammatione simul non devicta, pauxillum sanguinis venis parti laboranti quam proximis subducere opus erit. Hirudines aut ferramenta id optime moliuntur.

Exulcerantia.—Omnia quae exulcerant vasa parti cui imponuntur subjecta, exonerant; cor autem et arterias concitatas subigere vix possunt. Si quid igitur viscus inflammatur, cutem ei vicinam exulcerare proderit. Si pars affecta acute dolet, summa cutis praeter modum calet, et cor arteriaeque motu citiore saliunt, haec auxilia praetermittere praestabit; certeve non prius adhibere, quam venae, misso sanguine, bene jam conquieverint. GREGORIUS admonet, ea saepe graviter irritare et laedere, si aeger valde febrit; ideoque prudentis esse medici, non nisi corde et arteriis quodammodo consopitis, iis uti. Emplastrum igitur e meloë vesicatorio confectum, venis jam antea probe exinanitis et dolore febreque domitis, quam proxime partem implicitam, admovendum. Prout signa diutius aut brevius, levius aut gravius auxerint, et pro aetatis, corporis et similium ratione, plus minusve, exulcerantibus utendum erit. Utilius erit emplastra plura,

aliud ex alio, crebro imponere, quam ulcus unico oriundum arte conservare.

Res est notissima cantharides urinae difficultatem movere, et renes perquam exasperare: si id malum exulcerantibus utendis accedat, potandi erunt liquores diluti et glutinosi; quo viae urinae mulceantur.

Visceribus inflammatis, ulcus conficere saepe juvat, in cutem incisam pisum unguento e meloë vesicatorio praeparato illitum immittendo. Praesentissimis tamen auxiliis opus est, in acutam inflammationem: cui igitur domandae, haec exulcerandi ratio minus convenit. Jecur enim inflammatum tam cito suppurare consuevit, ut multo minus opis hinc quam ex emplastro lyttae admoto percipiatur.

Fovere partem affectam pannis laneis aqua tepida madefactis, aut multum potus tepidi et glutinosi bibere, plus in jecinoris quam alius partis inflammationem auxiliatur. Inde

scilicet dolor et intentio admodum solvuntur.

Alvi purgatio.—Alvo vacuefaciendo febres et inflammationes omnes perquam sedantur. Jecinore vero laborante dejectio nil proficiet, imo vero oberit, si medicamenta acriora eam moliantur. Alvus igitur salibus mediis, aqua multa liquatis, solicitanda est: pauxillum enim cujusvis ex his, aqua plurima solutum, magis valebit, quam aqua ampliore mole satura ingesta. Hinc patet, cur fontes apud Cheltenham et Harrowgate in tantum jecinore aegrotis opitulentur. Si alvus valde torpeat, ad fortiora medicamenta confugiendum; qualia sunt submurias hydrargyri et radix convolvuli jalapae. Illud multi, et praesertim vir eximius, CURRIEIUS, apud Valetudinarium Guidianum medicus, jecur vi propria excitare et afficere credunt, quam ab alvi expurgandi facultate alienam esse contendunt: persaepe enim idem, etsi nil aegrum juvet, dejectionem moliri, et contra interdum,

etsi non alvum moveat, insigniter prodesse. Vim propriam, de qua retuli potestate, qua pollet, bilis fistulas exinaniendi contineri, proponit. Si enim alvus leniter medicamento solicitatur, et simul paululum submuriatis hydrargyri detur, alvum admodum biliosum descendere. Idem medicus grana ejus tria aut quatuor sexies aut quater in dies concedi jubet; et inde tussim et spirandi difficultatem brevi fugari perhibet. Si ventriculus irritabilior hoc, vel opio accedente respuat, vice ejus oxydum hydrargyri cinereum bene fungetur, cujus grana duo aut tria grana dimidio opii adjecta rite praecipiuntur.

Quae vomitum movent.—Vomendo jecur in tantum exagitatur et irritatur, ut exinde in inflammationem frequenter inciderit. Quidam tamen ventriculum vomitu solicitari jusserunt, ad hunc morbum sanandum: quos plane ratio vana fefellit; nihil enim gravius notas omnes acuere et intendere potest. Ob eandem causam praeparata e stibio abjicere

oportet. Quamvis enim ad sudorem eliciendum praecipiantur, ob ventriculum tamen sentientiorem et irritabiliorem, haud vero vomere inopinato faciunt.

Fructus aciduli, acida et omnia refrigerantia proderunt. Sitim enim restinguunt, febrem et inflammationem sedant, et viribus succurrunt.

Hydrargyrus.—Simul atque inflammationis notae jam bene sanguini mittendo, exulcerantibus et alvi dejectioni cesserint, paratis ex hydrargyro utendum est, quo minus jecur induresceat. Medici complures, praesertim Indici, sibi persuaserunt, hoc metallum vi propria jecinori vitiato opitulari; haud secus atque morbum gallicum idem, aut cinchona officinalis febrem intermittentem debellat; ideoque, jam ineunte inflammatione hoc auxilio uti solent. Maturius porro idem adhibent, eo quod jecur sub ardentiore sole inflammatum quam celerrime suppurat. Me longe aliud sentire profiteor. Praeparatio-

nes argenti vivi corpus insigniter stimulare, res est notissima; ideoque inflammationi acuendae et suppurationi celerandae accommodari videntur. Expectandum igitur, dum incitatio jam demum bene conquieverit, et tum demum adhibendum hydrargyrum: qualem curationem vel Indici ipsi medici nunc sequuntur. CURTISIUS * nos certiores fecit, febre et dolore fugatis, se hoc remedium dare solitum esse, alvi ratione nihili habita. Si enim alvi fluxus aut dejiciendi assidua cupiditas torqueat, haec mala tollere, jam sublata inflammatione, facile et tutissimum erit.

Quod ad rationem argenti vivi admovendi, optimum est summam cutem unguento ex eo praeparato illinere. De hac re GIRDLESTONUS hujuscemodi habet orationem: " Parvam hy-
" drargyri quantitatem per os introductam,
" gingivas valde affecisse, saepeque etiam vix

* Curtis on the Coast Diseases of India, p. 106.

"ulla alia mutatione quod oculis detegere-
"tur producta, observando, attonitus fui:
"contra autem, larga quantitate ad integu-
"menta infricata, tempus quo sub alia ratio-
"ne gingivae afficiebantur multo protractius,
"et mutationes in corpore excitatae multo
"majores fuere *."

Medici inter se multum discrepuerunt, de parte illinenda. Siquidem hoc metallum eo juvat, quod in sanguinem a vasis resorbentibus delatum, jecur et omnes alias partes simul incitat, constat parum interesse, quae pars fricetur. Non citius molietur cuti circa jecur admotum: ea igitur pars non alii praestat, nisi quod ipsa fricatio jecinori et bilis fistulis leni est et salutari incitamento. Alii axillam, inguen aut femur unguere malunt; eo quod istae partes vasis resorbentibus scatent, ideoque unguentum hydrargyri cito et facile accipiunt. SAUNDERIUS ait,

* Girdlestonus de Hepatitide Indiae Orientalis, p. 24.

"If the cuticle be removed by means of blis-
"ters from any part of the body, such a sur-
"face will be found best adapted to the pur-
"pose of absorption *." Cui parum assentior: tam tenera enim et tactus impatiens est pars cute summa nudata, ut vi idonea fricari nequeat.

Drachma unguenti fortioris quotidie vesperi, et interdum mane quoque, cutem illinere oportet. Si aeger non inde in melius, imo potius in pejus vertatur, ingerendum est idem metallum: nimirum aut pilulas ex hydrargyro, aut ejus submuriatem opio junctum, ne alvus fluat, praecipere oportebit. Si alvus argento vivo sumpto torpeat, quod interdum fit, salibus mediis erit solvenda. Simul atque os saliva scatere et dolere coeperit, hoc medicamentum aut intermittere, aut certe parcius concedere opus erit. Quod si os saliva superfluat, salivatio reprimenda est alvo

* Saunders on the Diseases of the Liver.

leniter purgata, opii modis exiguis, faucibus extrinsecus lytta exulceratis, et sulphureto potassae; quod argentum vivum iners facere existimatur.

PEARSONUS edocuit nihil melius esse, hoc diutius, largius aut intempestive dato, quam ut corpus perflatui objiciatur. Si tam diu ingestum est, ut vires admodum contriverit, statim abjici debebit.

Quum corpus leniter imbui inceperit, ita duas aut tres hebdomadas perstare oportet, modis perexiguis praeceptis, dum evanuerint notae vitiosi jecinoris; et valetudo integra, et color vultus sani proprius redierit.

Si jecur suppuraverit, aut ob medicinam serius obnixam, aut ob inflammationem tantam, ut ars medica perperam ejus impetui restiterit, aeger victu opimo reficiendus est: Praecordiis inspectis, si summa cutis ibi intumescat, si tumor acuitur et fluctuat, scalpello incidi debebit, quo pus educatur. Hisce nondum patentibus, praecordia cataplasmate

mollienda et fovenda sunt, ut pus extrorsum feratur, et citius fiat. Quod si abscedat pars interior, natura ipsa unica mederi poterit, arte vix auxiliatrice futura.

Victus ratio. — Inflammatione saeviente, victus tenuissimus foret. Magis angue et cane fugienda carnes assae aut elixae, potus meraci omnigeni, et omnia incitatura. Cibus e frugibus, simplex, parcusque praestat. Conclave, in quo aeger habitat, perflatum habere debet: temperies media juvat, quae sit nec ultra, nec citra gradu sexagesimo indicatam. Inter cubandum aeger stragulis levioribus velandus. Inter argentum vivum sumendum, ventriculus et intestina potu glutinoso quovis et tepido large vorato mulcenda. Quum corpus hoc remedio probe inficitur, victu alendo aptiore confirmandum est.

Si aeger jam Indiam, aliumve locum sole torrido exustum accolat, ei domum redeundum, aut coelum mitius petendum. Morbo tum praesente, tum quoque finito, videndum

est, ut corpus non ulli ex noxis excitantibus pateat: quae scilicet urgentem exasperabunt, et sublatum quam facillime reducent.

FINIS.